



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Ata ex duobus lapidibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ex quibus collige Maritum respectu uxoris, & uxorem respectu viri, ut etiam privignum respectu vitrici, & hunc respectu illius, licet comprehendantur sub nomine familiarium, & Domesticorum, sunt enim hi maxime de Familia Domini, non venire tamen ex Castro, lib. 2. sub nomine Consanguineorum, quia tales non sunt, sed affines: ceteros ergo remotos affines, nisi forte de familia inveniantur, excludimus ab hoc privilegio.

40. Quod si contingat casus, ut Dominus habens Bullam non inter sit Sacro, poteruntne prædicti de Familia interesse, & satisfacere, imo etiam sibi celebrare facere in dicto Oratorio? Possent negare Rodriguez *ibid.* Henriquez lib. 7. cap. 13. quia soli Domino, aliis autem nominis ratione Domini concessum est privilegium. Concedit Ludov. à Cruce *loc. cit.* n. 5. cum quibusdam junioribus tacito nomine, quia sicut Dominus potest sibi celebrare facere sine familia non obstant illud, Et, ibi, in fine, & familia sua presentia: ita poterit familia sine Domino. Cujus ulterior ratio esse potest, quia cum Bulla non præscribat presentiam Domini esse necessariam nec nos debemus præscribere, sed affirmare Pontificem voluisse concedere Familiaribus hoc indulgentiam ratione Domini habentis Bullam licet absentis. Utraque sententia est probabilis, & concedentem excipit etiam Caltróp. de Bulla Cruc. 6. m. 9. citans Joannem Salas.

41. Adverte denique, quoties quis uti dicto Oratorio privato ad præmissa quæ sunt ex privilegio, voluerit, debere aliquas preces (sufficit etiam unum Ave) Deo potest, pro conservatione unionis Principum, coramque victoria. Ratio est, quia sub hoc onere conceditur talis gratia à Pontifice, ut patet ex tenore Bullæ. Omisso autem erit venialis ex Bardi in *expos. Bull.* p. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 5. §. 1. & 2. quia res est ex se levis, nec invalidat concessionem, quia tale onus imponitur sub illa particula, dummodo, quæ regulariter, modum, notat, non conditionem ex Barbosa *disp. 80. in edit. Rom. & Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 33. num. 2.* cujus quidem modi omisio, quando is modus adjicitur actui perfecto, (ut fit in casu nostro, prius enim à Pontifice conceditur perfectè privilegium prædictum, & deinde adjicitur, *Dummodo non, &c.*) non vitiat, hoc est, non invalidat actum, seu concessionem.

§. V. De violatione Ecclesiæ, seu loci Sacrificij, ejusque Reconciliatione, remissione.

De tota hac re agam per occasionem *infra lib. 3. c. 6. §. 3.* ubi sermonem faciam de impedimento loci quoad faciendum Sacram.

CAPUT V.

De Altari, ejusque ornatu.

Altare, quasi particularis locus est Sacrificij. De ipso Agitur, ejusque ornamentis, hic congruè, disputandum breviter est.

§. I. De Altari.

Altare, sine quo sacrificare, peccatum est, sine dum mortale, duplex esse potest: Fixum, & Portatile, seu viaticum.

In Fixo, ut celebrari sine mortali liceat, saltem Tabula superior esse debet lapidea. Ita Coninch. de *Sacr.* q. 83. art. 1. d. 2. §. 8. Fagund. *præcept. Eccl.* lib. 3. cap. 22. n. 1. & passim. Consecratur autem (ut & Portatile) vel ab Episcopo proprio, & Sede vacante, à viciniore, vel ab habente potestatem à Pontifice: Sic Gavant. in *Man. Episc. V. Altare*, in addit. num. 4. citans Rodriq. quæ tamen quamvis raro concedatur Sacerdoti Episcopo inferiori, concessam nihilominus vidisti, obiter, *supra* cap. 1. §. 2. n. 5.

Part II.

2. Nota autem in Ecclesiis non consecratis quemlibet Presbyterum erigere, & destruere posse Altare non consecratum: Sic Azor. p. 1. lib. 10. c. 27. §. 6. ex Sacri. Canon. Lezana *V. Altare*, n. 12. ex consuet. at in consecratis, nulum stabile (ut notat Barb. l. mox citando, n. 3. posse erigi, vel destruere Altare sine Episcopi consensu. Notat item Barbos. de *jure univers.* lib. 2. c. 7. num. 12. in Ecclesia non consecrata, non esse Altare) sanè fixum consecrandum, sine Summi Pontificis licentia.

3. Portatile, ex lapide unico consecraro, constare oportet. Sic item citati, & passim: esto ligno undique circumdatis, ad faciliorem conservationem, vel ad ornatum, possit: modo tamen lapis inclusus sit tantus, ut majorem partem Calicis, & Patenæ capiat, hoc est: ut super illum, Calix, & Patena sustentari queant: quo casu supra lapidem, & non supra lignum curari debet, ut Calix, & Patena ex majori ipsorum parte collocetur: licet id non esse scrupulosè enudandum, modo non sit periculum lapsus, rectè moncat Suarez de *Sacram. disp. 81. sect. 5. §. 6. Dicendum ergo, sine.*

4. Usus talis aræ consecrata, est, ut Calix, & Patenæ, sicut dictum est, & etiam particula, si quæ sunt consecrandæ, non solum sint super ipsam, tempore consecrationis, verum etiam, ut *ibid.* sint, usque ad Communionem Sacerdotis: cum enim, etiam & particula prædicta pertineant ad Sacrificium, quod tunc peragitur, & super Aram, & usque ad perfectionem Sacrificij, coram Sacerdote, persistere, ritè debent, de qua re vide quæ dicam *infra lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 12.*

5. Nota denique, quod in eo Altari, quo proprius Episcopus celebravit (*cantavit*, habet textus *cap. in Altari, de Consecr. dist. 2.*) eodem die, non licet celebrari ab alio inferiore Sacerdote sine licentia, saltem tacita, ejusdem: Ita Gavant. in *Man. Episc. V. Altare*, n. 28. videtur tamen hic Canon in desertudinem abiisse, nam propterea standum esse consuetudini ejusque loci, rectè notat Lezana *C. Altare*, num. 13.

An ara ex duobus Lapidibus unitis construi, vel refici possit.

6. Fabricavit quidam ex duobus Lapidibus infertis in duabus ligneis tabellis Aram, ita invicem colligatis, ut instar libri, clauderentur, & aperirentur. Dixi, nequam eo uti ad Sacrificium licuisse. Ita Vasq. de *Sacram. disp. 23. c. 2. n. 16.* Fagund. 1. *Eccl. præcept.* lib. 3. c. 12. n. 9. Ratio fuit, quia non fuisset unus Lapis, unam Christi personam significans. Adde quod fuisset contra omnium Ecclesiarum consuetudinem.

7. Quid, si pars lapidis non consecrati addatur seu inferatur parti Aræ consecrata: Dico cum Delugo de *Sacr.* *disp. 20. sect. 2. n. 68.* partem additam non fieri consecratam, quia pars addita non facit unum physicè continuum cum consecrata: Ara enim, ut modo dixi, debet constare ex uno & simplici Lapide, unam Christi personam significante. Quare, nisi pars consecrata tanta sit, ut sustentare Calicem, & Patenam possit, uti ea non licebit, prætextu quod modo dicto, fuerit r. c. t. a.

8. Scio, quod si affluatur frustum ferici non benedictum, planctus, v. g. benedicta, tota planctus erit benedicta, idemque, si parum aquæ, vel olei infundatur in aqua benedictam, vel oleum consecratum; at in casu nostro, quia requiritur dicta unitas physica, idem dicere non possumus.

An in Ara debeant condi Reliquia Sanctorum.

9. In consecratione altaris solent recondi in ejus sigillo, sacræ Reliquiæ. Sigillum, seu, ut etiam vocant, Sepulchrum, hac in re est parvulus ille loculus in ipsa mensa, vel basi Altaris, seu Aræ, in qua includuntur Reliquiæ; nam propterea Sacerdos, in ipso Missæ introitu osculans Altare, dicit, *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum reliquia hic sunt.* &c. Dubitatur ergo, an hoc quod fieri solet, ita soleat, ut deficientibus reliquiis, legitima non sit Altaris consecratio?

K 10. Dico